

gis, Dan. I. B. Franciscus Borgias, cum adhuc sæcularis dux aucupio vacaret, hoc frequenter in ore habebat : feras et volucres carnivoras modicæ escæ gratia agreste ingenium exuere; mansuescere, ac voce hominis accitas statim advolare; hominem vero rationis participem tot bonis ac beneficiis provocatum Deo parere nolle, Ribad. I. I. c. V. Pudenda res et dolenda. Et quam hoc indignum?

Quarto, si consideremus modos, quibus vocat. Imprimis enim vocat non semel, sed bis, ter, variis legationibus, mittens modo hos, modo alios servos, miracula, sermones, libros, internas inspirationes. Subinde monstrat, et promittit tibi grandia bona : *Ecce prandium meum paravi : tauri mei et altilia occisa sunt.* Subinde etiam terret minis, vel aliorum, quos ob contumaciam suam perdidit, suppliciis, ut tu illorum malo sapere discas. Quandoque urget adversitatibus propriis. Tot tantisque legationibus si non acquiescamus, omni prorsus ratione destituti sumus.

Quinto, si expendamus supplicium, quo expectat contumaces, estque perditio et incendium gehennæ. Ubi enim argumenta et rationes nihil proficiunt, ibi accipit Deus flagella, gladium et ignem. Fugit Jonas a facie vocantis Dei, et incidit in furiosum mare, jactaturque in os belluæ. « Ecce fugitivum Dei, inquit Gregorius, I. VI. moral. c. XII. tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit et qui auctori suo obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur. » Sed iste adhuc clementi pœna exceptus est, ad correctionem. Non omnibus contingit : plurimi refractarii ejiciuntur mox in infernum et in os ceti tartarei, nec injuria; Dei enim vocantis sinum fugiunt, et ad creaturas se recipiunt, inveniuntque turbulentum mare, cetos et monstra, a quibus devorentur. Quare sapienter ultimi regis servi, post perditionem rebellium, missi sunt in *exitus viarum*, ut vocarent obvios quosque. Quid enim sunt exitus illi, nisi termini viarum? Nihil ergo efficacius ad peccatores convertendos esse videtur, quam considerare *exitus viarum* suarum, finem scilicet vitæ et conversationis suæ, quo tandem perventuri sint, si Deo semper rebelles tam perditæ vivere pergant : finis enim et exitus illorum perditio et incendium est, uti testatur apostolus ad Philip. III. de inimicis Christi : *Quorum finis interitus*, inquit, Græce *perditio*, d. q. in fine perdentur et interibunt, qui sectantur gulam et lasciviam, quorum Deus venter est, voluptates eorum desinent in perditionem et incendium gehennæ.

IV. Discimus accedere ad s. eucharistiæ communionem, cum veste nimirum charitatis seu gratiæ. Quemadmodum enim is, qui sine veste nuptiali repertus est in nuptiis, ejectus est e convivio; ita abjiciuntur a conspectu Dei, qui cum sordido peccati vestitu accedere præsumunt ad regium illud convivium Filii Dei. Debebant in vitati ad honorem sponsi vestire se nuptialiter, seu festive : pari modo ad honorem Christi, sanctissimi et purissimi, Dei et Virginis Filii decet accubituros in mensa eucharistica, indui veste gratiæ, quæ sola ipsi placet : et exui sordidis peccatorum centonibus, quibus solis offenditur.

Quod si dicat aliquis, ad nuptias illas vocatos etiam pauperes esse e compitis et viis publicis, ideoque ægre ferendum non fuisse, si quis sordido vestitu venit, respondeo cum Barradio hoc loco, regem jussisse dari vestes nuptiales convivis, quibus carerent; hominem vero illum eas non acceptasse. Pari modo nolo dicas, non fuisse tibi communicaturo copiam vestis gratiæ, quia eam per pœnitentiam facile habere potes, illic ergo prius a confessario requirenda est. Sane Judæi, si qua ratione, corpore non animo, contaminati forent, non sunt ausi manducare pascha, quod erat typus eucharistiæ. Hinc enim noluerunt ingredi prætorium : *Ne contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Quanto magis decet ut nos Christiani simus puri et immaculati, cum manducare volumus, non agnum illum typicum sed verum illum et immaculatum Virginis Filium, qui tollit peccata mundi? Qua ergo ratione accumbere ad hoc pascha potest, qui paulo ante intravit non prætorium, sed prostibulum? Cæterum non tam corporis, quam animæ puritas requiritur a nobis ut manducemus nostrum pascha. Non curat rex et Dominus noster, si foris niteamus in festivis vestibus : intus et in animo vult nitere nos; quia amicos vult, non hostes. Potest autem foris monstrare quis se amicum, qui in cute est inimicus. Plerique omnes cum accedunt ad communionem, pretiosis se adornant vestibus. Non culpo quidem istud, si ad honorem sacramenti, absque ambitu et excessu fiat. Sed non est iste habitus, quem desiderat noster sponsus. Qui mundo serviunt, similes sunt vulpibus et martibus, quæ pretiosas quidem gerunt pelles, sed carnem habent inspidam et inutilem. Qui vero Deo serviunt, similes sunt capreis, quæ vilem quidem pellem, carnem autem optimam et generosam habent. Illæ post mortem pellibus nudatæ, ejiciuntur in sterquilinum; hæ vero afferuntur ad mensas principum. Illarum finem sortientur

improbi : istarum vero probi. Hæc sit ergo auditor, hæc sit vestis nostra, charitas et gratia, quam nobis largiatur rex cœlestis.

## CONCIO IX.

## MYSTERIA.

I. Quid significant hæ nuptiæ? — II. Quæ causæ hujus contracti matrimonii? — III. Quinam servi et quo missi? — IV. Quid tauri et altilia? — V. Qui invitati venire noluerunt? — VI. Quæ pœna irrogata refractariis? — VII. Quid significat vestis nuptialis? — VIII. Cur unus tantum deprehensus sine veste nuptiali? — IX. Qua pœna plexus, qui sine veste nuptiali deprehensus?

## THEMA.

*Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. XXII.*

Ecclesiam Christi, auditores, duplici agmine comprehendi multoties audistis : militante nimirum et triumphante. Utrumque etiam *regnum cœlorum* sæpius appellatur a Salvatore nostro : quia quo triumphans Ecclesia jam pervenit, eo militans contendit : illa quasi civitas regni cœlestis, hæc suburbium est. Propterea etiam Dominus similem convivii parabolam de utraque nobis proposuit, de triumphante quidem parabolam cœnæ ut quæ ultimum diei convivium est, diem claudens, Luc. XIV. de militante vero parabolam nuptiarum seu prandii nuptialis, in evangelio hodierno. Utraque enim habet suas epulas et cupedines; quamquam hæc ad meridiem, tempore laboris; illa vero ad vesperam, tempore quietis. In hac admittuntur boni et mali; in illa vero nequaquam; in hac reperitur homo non vestitus condecenter, ideoque a convivio ejicitur; in illa nemo talis reperitur aut ejicitur. Quam bonus igitur Deus et Dominus noster Christus, qui non solum triumphantem illam Ecclesiam sub descriptione cœnæ; sed etiam militantem nostram, sub typo nuptiarum depingere dignatus est! Vidimus alibi cœnam, typum triumphantis : videamus hodie nuptias, typum militantis.

I. Quid significant hæ nuptiæ filii regis? Resp. primo, unionem et quasi desponsationem divinæ Christi naturæ cum humana. Ita D. Gregor. hom. XXXVIII. in evang. « Cum humanam naturam, inquit, verbum divinum assumpsit, tunc Pater Filio nuptias fecit, quando in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit. » Similiter D. Aug. orat. contra Jud. et Arian. c. IX. to. VI.

## IV. PARS ÆSTIVALIS.

« Christus, ait, processit ex utero virginali tamquam sponsus de thalamo suo, in quo utero spirituales nuptiæ celebratæ sunt : Deus conjunctus est carni, et caro adhæsit Deo. » Hanc conjunctionem mox secuta est communicatio idiomatum in Christo, ita ut quod de Deo prædicatum est, prædicetur etiam de homine, et e contra : Deus dicitur nasci, esurire, pati, mori; homo dicitur æternus, omnipotens, immensus, etc. Contractum est hoc matrimonium, ut dixi, in utero Virginis, ubi humana Christi natura secundum animam, statim vidit Verbum tamquam sponsum suum. Consummatum vero in cruce, dicente Domino : *Consummatum est*, ubi Dei Verbum humanitati assumptæ, revera *sponsus sanguinum* factus est, quemadmodum dixit Sepphora Moysi, Exod. IV.

Secundo, conjunctionem Christi cum Ecclesia; quo respiciens Joannes Baptista dixit de eo : *Qui habet sponsam sponsus est*, Joan. III. Et de hac exponit parabolam D. Hieronymus, necnon etiam D. Greg. loc. cit. et alii. Matrimonium hoc ratum habitum est in cruce, ubi Christus sponsam suam sanguine suo emit : consumabitur in die judicii, ubi eandem introducet in thalamum suum cœlestem. In hoc communicavit Christus Ecclesiæ omnia sua merita et bona, ipsumque adeo regnum suum cœleste, promissum quasi in dotem.

Tertio, desponsationem Christi cum quavis anima fidei; de qua apost. II. Cor. XI. ait : *Despondi enim vos uni vero virginem exhibere Christo.* Desponsatur autem anima Christo in baptismo per anulum fidei : adhæret ei per charitatem. In hoc etiam conjugio participat anima bona sponsi sui, gratiam et gloriam, fitque regina quædam, de qua Ps. XLIV. dicitur : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* In hoc concipit et parit proles speciosissimas, actus virtutum præclaros omnis generis, mediante Christi gratia. Triplicem hanc desponsationem quasi digito notat Deus per Ose. c. II. dicens : *Sponsabo te mihi in sempiternum : et sponsabo te mihi in justitia et judicio (q. d. tuebor te et judicabo ac puniam hostes tuos) et in misericordia et in miserationibus : et sponsabo te mihi in fide.*

II. Quæ causæ fuerunt hujus conciliati matrimonii? Audiamus ad hoc respondentem Alphons. Salmeronem pie et erudite. Causa : « Prima inter alias occurrit, ut cœlestis regni hæreditas prævaricatione parentis nostri principis perditâ recuperatur. Regnum enim amissum et abalienatum melius non recuperaretur, quam per matrimonium contractum inter personam legiti-

mam regni hæredem, et alteram distantem. Nam natura humana de genere Dei est, juxta illud apost. Act. XVII. ipsius enim et genus sumus: genus ergo cum simus Dei, etc. Sed per peccatum ab eo distans: et quamdiu fuit in recta linea consanguinitatis, id est, veritatis, et virtutis, capax erat regni, sicut illo, qui in recta linea reali permanet. Unde in Sap. c. X. dicitur: Justum deduxit per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Sed quia deflexit a recta veritatis via, perdidit regnum, quod per ejusmodi nuptias recuperavit.

Secunda ratio initii matrimonii fuit, ut bellum inter Deum et homines, quod erat, tolleretur. Solent enim regna inimica inter se per matrimonia invicem pacificari. Est ergo incarnatio, Deum inter et homines, qui animo hostili, et odio Deum persequerentur, reconciliatio. Cum vero odio sint Deo impius, et impietas ejus: tales et ipse quoque ut hostes aversabatur. Et ut conflaretur vera et constans amicitia, debeat esse amicus alter ego, vel potius ipseidem ego, non alter ego. Itaque meus amicus est ego, et ego sum meus amicus debentque esse voluntate tam conformes, ut unas ædes inhabitent. Atque ita Deus cum humanitate beata viscera Mariæ Virginis inhabitavit, ubi primum se invicem viderunt Deus et homo, ibi sese amplexati, et osculati sunt; ibi dederunt dexteras societatis, et mutuo se in signum amicitiae dignatae sunt alloquio; unam et eandem mensam ad comedendum, et bibendum habuerunt, imo, ut sic dicam, ex uno et eodem disco unam, et eandem buccellam simul edebant; unum et eundem lectum ad cubandum habebant. Et tam arcto vinculo amicitiae conjuncti fuerunt, ut nihil unus sine altero efficeret, ita ut mota, et defatigata, et crucifixa, et mortua Christi humanitate, vere dicatur Deus motus, Deus defatigatus, Deus crucifixus, Deus mortuus propter communicationem idiomatum: quemadmodum quæ divinitatis sunt, illi homini vicissim tribuuntur, ut vere dicatur: Hic homo est Filius Dei; hic homo fecit cælum, et terram; hic homo virtute sua sustinet mundum; hic beat angelos; hic edit miracula. O vinculum super omnia vincula arctius et fortius, dæmonibus formidandum, angelis venerandum, et omnium hominum linguis celebrandum atque prædicandum! Tertia ratio: contrahitur matrimonium desiderio prolis habendæ; et incontinentiæ vitandæ gratiæ, et ob mutuum juvenem præstandum sibi invicem, et ad propagandos fines amicitiae: ad hunc modum incarnatio sobolem spiritualem facit, de qua Joan. c. I. loquitur, cum ait: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, et subdit: Et Verbum

caro factum est, hoc est, quia Verbum caro factum est. Facit etiam declinare obscenæ voluptatis incendium: nam dedecus est et ignominia, carnem, quam Filius Dei sua unione sanctam effecit, polluere, ut merito Jeremias, cap. XIII. dicat: Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? Quia creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum, id est, ex quo tantum, tamquam inusitatum, et novum Deus homini contulit, non decet impudicis voluptatibus vacare. Juvat etiam Deus per Christum hominem in homine servando, quia corpore pati potuit, ac proinde satisfacere, anima potuit mereri: quorum neutrum per seipsum præstare valuit Deus, qui omnis passionis et meriti est expers. Ampliavit etiam Deus amicitiam suam per humanitatem assumptam ad consanguineos sponsæ illam extendendo quasi ad affines et cognatos, ut jam non tantum ex parte animæ simus consanguinei Dei, quia ipsius genus sumus, sed etiam ex parte corporis assumpti affines. » Hæc ille.

III. Quinam servi regis et quorsum missi? Resp. tribus vicibus missos servos; primos et secundos ad Judæos, qui post contractum Christi cum Ecclesia et humana natura matrimonium, adeoque post adventum ejus fuerunt, postremos vero ad gentiles. Ita D. Hieron. et Gregor. Vocati autem sunt Judæi illi per prophetarum libros saltem; quamquam et per Joannem Baptistam, ejusque patrem Zachariam, Simeonem senem, Josephum et fortasse plures alios viva voce partim explicite, partim implicite vocati esse videntur. Cæterum his Judæi nihil moti sunt, quia a lege sua, in qua tamquam pueri exercebantur, discedere noluerunt; non attendentes ad Isaie comminationem, c. LVI. *Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus erit.* Missi igitur ad eos alii servi, apostoli eorumque discipuli, quibus primo, quidem præcepit Christus: *In viam gentium ne abieritis, et in civitate Samaritanorum (semigentilium) ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel, Matth. X.* Et hi nuntiabant prandium jam paratum esse: quamquam alii existimant primo loco missos esse apostolos, secundo loco eorum discipulos; quod bene etiam quadrat huic parabolæ, quæ in utraque legatione vocat invitatos tamquam ad nuptias jam paratas. Quia vero Judæi, ut diximus, venire noluerunt, sed partim neglexerunt ex incuria, partim postposuerunt aliis suis negotiis et agriculturæ mercimoniis, partim tenuerunt servos, recludendo eos in carcerem, uti apostolos omnes (Act. XII.) necnon contumeliis affecerunt, cædendo velut servos et

maleficos, denique occiderunt, uti Stephanum, Jacobum Majorem et Minorem, Matthiam et alios; ideoque excisis atque exterminatis Judæis per Titum imp. misit servos alios, non jam ad invitatos, Judæos scilicet (qui primi et speciali modo ac beneficio invitati fuerant) sed ad exitus viarum, sed ad terras longinquas, extra Judæam in gentilismo degentes sive bonos sive malos, hoc est, sive secundum legem naturæ degentes, sive non.

IV. Quid sibi volunt tauri et altilia occisa ad convivium nuptiale? Resp. primo, ad litteram denotare merita Christi jam occisi parata et tam copiosa, ut æquivalent plurimis, imo infinitis tauris et altilibus, rursus tam ad omnium gustum et fructum comparata atque accommodata, ut inde satiari queant, qui taurorum, id est, activam vitam; et qui altilium, hoc est, contemplativam sectari volunt. Ad hæc significant paratam esse doctrinam evangelicam, sacramenta, virtutum exempla, Dei misericordiam: victoriam obtentam esse de morte, peccato, inferno, diabolo.

Secundo mystice alii per tauros vetus testamentum ejusque patres, per altilia novum ejusque sanctos intelligunt. Vetus testamentum occupabat suos in actione potissimum, uti in sacrificiis, cæremoniis, operibus legis: pene omnes jugum trahebant matrimonii, vacabant sæculi negotiis et hujus mundi curis. Novum dirigit suos ad vitam potius contemplativam et religiosam: unde in Ecclesia tot monasteria et monachorum millia, qui abdicatis sæculi negotiis soli Dei cultui vacant. Itaque illi velut tauri, velut alites, jam occisi, hoc est, ad imitandum nobis propositi sunt, ut eorum exemplis satureremur. Vel tauri sunt ss. martyres, pro Christi fide occisi, altilia religiosi, qui in suis ordinibus impinguntur spiritu et moriuntur mundo et mortificant seipsos, cæterisque Christianis in epulum et exemplum proponuntur, quos et meritis ac virtutibus suis recreant, satiant et saginant. Habent ergo in hoc convivio fideles tauros et altilia, hoc est, exempla activorum et contemplativorum, ut quos velint, sectari queant, vel ex utrisque partem sibi desumere, ut sint partim Marthæ, partim Magdalene.

Tertio, tauri et altilia occisa significare possunt sacrificia veteris legis, in qua ejusmodi animantia Dei immolari et mactari consueverunt. Quia enim per Christi immolationem sacrificia illa finem acceperunt, adeoque emortua fuerunt atque infructuosa, ideoque debebant Judæi vel hoc solo nomine ad nuptias Christi venire, suasque sacrificiorum epulas deserere. Facit ad hunc sen-

sum, quod tauri et altilia non dicuntur cocta vel assata (quod tamen factum esse debebat, cum invitati vocabantur jam ad prandium) sed occisa tantum; quia videlicet sacrificia illa in se mortua et egena fuerunt elementa: sola Christi passio et quasi assatio in veru crucis complevit quidquid mortuis illis sacrificiis deerat; verum usque ad promulgationem legis novæ, post hanc enim omnino putria et inutilia, imo noxia evaserunt. Passio Christi quasi sal illarum carnum sacrificatarum in lege veteri fuit. Sublato isto sale in lege nova, putredinem et fetorem contraxerunt.

V. Qui invitati venire noluerunt? Resp. tria Judæorum genera. Primum, minorum et pauperiorum, qui labore manuum victum sibi parabant, et fere in agricultura aut pecorum actu; qui designantur per euntes ad villam: alterum, majorum et ditiorum, qui ingenio et industria per negotiationem divitias sibi comparabant, quales hodie mercatores, advocati, judices, medici, gubernatores; et hi notantur in iis, qui abierunt ad negotiationem suam: tertium, maximorum seu potentum, principum et magistratum; qui prætextu auctoritatis et legis suæ manus injecerunt servis Dei, apostolis eorumque discipulis, verbera et mortem intulerunt, ut habetur in Actis apost. c. V. et alibi.

Significant porro isti tria genera hominum, qui communiter Dei nuptias spernunt. Primi eorum, qui sectantur commoditates, delectationes et voluptates suas, in esu, potu, vestitu, deliciis, conviviis, tripudiis et similibus vanitatibus. Atque hi eunt in villam suam, quam pro domo et loco recreationis habent. Miseri et insani qui villanas et rusticanas delectationeulas præferunt regis et cœlestibus. Ut enim in villis omnia sunt vilia, sordida, rudia et inculta; domus luteæ, tecta straminea, mensæ sordidæ, cochlearia ligæa, patinæ figulinæ, cibi crudi et insipidi, lecti duri, vestes laceræ, horti inculti, etc. quæ omnia nobilis aliquis contemnit: ita mundi hujus deliciæ villa sunt respectu palatii cœlestis. Secundum eorum, qui divitiis et lucris inhiant, de quibus pronuntiat apost. I. Tim. VI. quod incidant in tentationem et laqueum diaboli, designati in mercatoribus. Multa enim peccata committuntur in mercatura: mendacia, juramenta et perjuria, fallaciæ, doli, invidiæ in alios negotiatores similes, neglectus dierum festivorum, monopolia civitatibus pernicioza, etc. Tertium eorum, qui ex odio et pertinacia Christi nuptias spreverunt, et servos Christi persecuti sunt: uti primis Ecclesiæ temporibus Judæi, per annos circiter quadraginta donec e terra sancta ejice-

rentur; postea gentiles per annos trecentos; denique hæretici, qui gentiliū persecutioni successerunt, nec desinent vexare Ecclesiam usque ad mundi finem.

VI. Quæ pœna irrogata refractariis? Resp. triplicem indicari: iram regis, perditionem rebellium et incendium civitatis eorum. Has imprimis experti sunt Judæi, quibus, primo, Deus postquam per annos fere quadraginta frustra eos expectavit ad pœnitentiam, tandem iratus, subtraxit vultum gratiæ suæ, reprobando eos, et in eorum locum vocando ad se gentes; quod Judæis denuntiatur paulo ante excidium per strepitum et vocem exeuntem e templo (angelorum absque dubio) ac dicentium: *Migremus hinc, ut auctor est Josephus Judæus, l. VII. de bello c. XII. et Tacitus gentilis, l. V. hist. Deinde, missis Romanorum exercitibus, duce Vespasiano et Tito perdidit eos variis modis, fame scilicet, peste, gladio hostili et captivitate. Sane Josephus colligens interemptorum et captivorum numerum, (ut qui præsens facile inisse potuit) ait: « Captivorum quidem omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta et septem millia comprehensus est numerus: mortuorum vero per omne tempus obsidionis, undecies centum millia. » Addit idem, fuisse eo tempore (paschali) numerum eorum, qui puri erant adeoque azyms vesci poterant ad vicies centena et septingenta millia. Reliquorum etiam ingens fuisse numerus debet: *Tunc ergo, inquit, velut in carcerem tota gens fato conclusa est et sarta hominibus civitas obsidebatur.* Captivorum alii ad opera damnati in Ægyptum: alii formosiori corpore triumpho servati et Romam abducti sunt: plurimi robusti per provincias missi ut cum bestiis pugnarent in theatris: qui infra decimum septimum annum erant, venditi sunt vilissimo pretio, quod deficeret eis annona, nec essent emptores, Joseph. l. VII. c. XVI. Denique, civitatem eorum et metropolim Jerosolymam succendit. Nam imprimis cum Titus turrim Antoniam prope templum pugnaret, edixit quidem, ut ne templum incendio vastaretur. Verum ipso absente miles quidem ignem per fenestram auream inseruit, qui templum omne paulatim corripuit, et cum Titus interveniens magnis clamoribus juberet incendium restingui et parci templo, non potuit ob tumultum audiri; sicque grassans incendium nulla potuit ope sopiri: postmodum capta civitas et ipsa inflammata est, soloque prostrata (tribus tantum turribus, Phaselo, Hippico et Mariamne, eum exigua parte muri, exceptis), ita ut: *Qui ad urbem postea accessissent, habitam aliquando esse vix crederent, inquit Josephus, lib. VII. c. XVIII.**

VII. Quid significat vestis nuptialis? Resp. significare charitatem, non autem fidem vel Christum, ut volunt hæretici. Primo, quia vestis hæc desideratur in eo, qui ad nuptias intravit et cum aliis consedit; ergo per fidem debuit jam intrasse in Ecclesiam; qui enim fide carent, non veniunt ad nuptias, ut illi qui in prima et secunda legatione neglexerunt venire. Unde S. Gregor. hom. XXXVIII. in evang. ait: « Quid fratres charissimi exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem baptismata vel fidem dicimus, quis sine baptismate et fide has nuptias intravit? Eo enim ipso fortis est, quo necdum credit: » et infra: « Qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innotuit esse vestem nuptialem. » Secundo, quia rex vocat eum amicum: non erat amicus per charitatem, erat ergo per fidem; qui vero et fide carent, nulla ratione amici Dei sunt. Unde Gregorius ibid. recte sic exponit: *Amice per fidem, sed non amice per operationem.* Tertio, quia vestis nuptialis gestari a Christiano etiam in altera vita debet; cum ibi nuptiale convivium primum solemniter incipiat: atqui sola charitas manet nobiscum in gloria, fides et spes vacuantur et desinunt: comitantur nos ad portam regni cœlorum, non ingrediuntur nobiscum; sola: *Charitas nunquam excidit, l. Cor. XV.* Quarto, quia pœna proportionari solet culpæ, Sap. XI. *Per quæ quis peccavit, per hæc et torquetur.* Iste autem ligatur manibus et pedibus, quia per charitatem operari noluit: mittitur in tenebras, quia dilexit peccatorum tenebras: mittitur ad locum fletus, quia flere hic peccata sua noluit.

Neque etiam imputativa Christi justitia dici vestis nuptialis potest, ut volunt alii hæretici; quia vestis adhærere convivæ debet; et potuisset alioquin iste miser dicere, sufficere sibi vestem sponsi illius splendorem sibi imputandum esse. Charitas ergo est nuptialis vestis, quia vestis instar inhæret nobis et adornat nos facitque Dei filios: operit etiam seu delet multitudinem peccatorum: defendit contra frigus et æstum tentationum, etc.

VIII. Cur unus tantum deprehensus sine veste nuptiali inter tot convivas? Resp. primo, per unum hunc designari omnes eos, qui fidem sine charitate et operibus habent: *In hoc uno homine non vestito veste nuptiali, inquit August. lib. contra Donat. c. II. grande quoddam corpus figurari omnium malorum ante Domini judicium convivio Dominico, permissorum etc.* Secundo, ut ostendat Dominus ne unum quidem in tanta turba latere eum posse nec tutum esse, eo quod unus sit; quia: *Non introibit in cœleste convivium aliquid coinquinatum, Apoc. XXI.* Coram hominibus unus

forte inter multos latere potest, at non coram Deo. Tertio, quia quilibet peccator ita iram Dei portabit, ac si ille solus puniretur: nam socios habere pœnarum nihil ibi proderit. Denique, fortassis (non enim certum est hoc) indicat majorem saltem Catholicorum partem (nam si parvulos post baptismum in innocentia mortuos simul computemus, non videtur dubitandum) salvandam, eo quod plerique omnes in fine vitæ saltem suscipiant sacramenta; quibus expiati salutem consequantur: *Superexaltat enim misericordia Dei judicium, Jac. II.* hoc est, misericordia vincit justitiam. Ita ex Silvestro fr. Suarez, de Deo trino et uno, l. VI. c. III.

IX. Quæ pœna plexus est, qui deprehensus sine veste nuptiali? Resp. primo, ligatum fuisse manibus et pedibus; quod indicat, primo, eum more facinorosorum in carcerem et vincula coniectum: secundo, ex mente Theophylacti, quod post hanc vitam non sit amplius potestas operandi aliquid, quo vel præmium vel pœnam mereatur: tertio, quod inferi certo loco additi et quasi vinculis constricti sint, nequeant se a pœnarum sævitia defendere manibus, aut pedibus effugere: quarto, quia bene operari cum possent, noluerunt, in pœnam constringuntur eis membra, quod non exiguum cruciatum gignit.

Secundo, missum seu ejectum fuisse e consensu convivarum, quod indicat: primo, pœnam damni, quæ consistit in privatione gloriæ, et omnium honorum cœlestium, paritque in damnato immensam tristitiam, quando is considerabit se infinito bono et quidem in infinitum seu

æternum cariturum. Indicat secundo, eum in genti impetu et horrore abjiciendum a conspectu Dei in locum a Deo et cœlo remotissimum, infernum scilicet.

Tertio, missum esse in tenebras exteriores; quod significat: primo, infernum fore locum obscurissimum, subterraneum, omnique luce destitutum, nisi forte in quantum suas et suorum pœnas damnati intueri debent. Secundo, juste eos puniri tenebris, qui lucem spiritualem et divinam contempserunt. Exterioribus vero; quia cum tenebras internas habeat hic peccator (dum instar noctuæ videt solum externa et profana, ad interna vero et spiritualia, in seipsum et conscientiam suam cæcus est), ideo patietur ibi tenebras externas, in quibus nihil videat reum externarum, sed internam tantum stultitiam et confusionem suam.

Quarto, fore ibi fletum et stridorem dentium, hoc est, gemitus et ululatus immensos una cum extrema pœna sensibili. Fletus indicat summam animi tristitiam ex apprehensione summi boni amissi, et summi mali contracti: stridor dentium summos corporis dolores ab igne et aliis pœnis externis. Cruciabitur ergo anima et corpus: illius cruciatus vermis, hujus vero ignis vocatur a Domino: animæ dolorem fletus, corpore vero stridor dentium indicat.

Tanto igitur et tam terrifico exemplo admoniti, enitatur, ut postquam jam ad nuptias Filii Dei vocati sumus, vestem nuptialem nobis comparemus, ne alioquin in socordia deprehensi, idem cum isto judicium experiamur.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

NUPTIÆ CHRISTI TRIPLICES: CUM NATURA HUMANA, CUM ECCLESIA, CUM ANIMA FIDELI.

I. Cum natura humana. — II. Cum Ecclesia. — III. Cum anima cujusque fideli.

#### THEMA.

*Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Matth. XXII.*

Sponsus quidem audivimus filium regis factum in hocferno evangelio; sed quæ ejus sponsa? Non unam assignant patres, qui hanc parabolam exponunt, sed trifariam. Alii natu-

ram humanam, quam sibi Dei Filius univit, et quasi despondit in utero matris suæ: alii Ecclesiam, quam in cruce sibi copulavit: alii animam cujusque fidelis, quam sibi despondet in baptismo, et post lapsum, in pœnitentia. Consonat huic triplici Christi desponsationi trina illa promissio sponsalium apud Oseam, cap. II. facta a Deo, dicente: *Sponsabo te mihi in sempiternum: et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide; et scies quia ego Dominus.* Triplicata hæc desponsatio triplicem indicat sponsam, quam sibi despondit Christus, et partim adhuc despondet celebratque cum eis nuptias plane admirandas, de quibus hic agemus.